

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

XXI. Qui aetate adhuc est immaturâ & seipsum regere nondum potest, adeoque
discere potius debet, quam docere, munus Ecclesiasticum in non suscipiat.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082)

XXI.

Qvi ætate adhuc est immaturâ & se ipsum regere nondum potest, adeoque discere potius debet, quàm docere, minus Ecclesiasticum in se non suscipiat.

Εἰρησμός.

ARduum munus est, alios erudiendi in fide & gubernandi in vitâ; Esse curatorem animarum, pro quibus ratio reddenda sit DEO Hebr. XIII, 17. Nemo ergo suscipiat curam animæ alienæ, qui suam nondum sufficit custodire, nec præsumat docere prius, quàm discere. Ejusmodi præposterum Doctorem graviter alloquitur, Theologus, *Gregorius Nazian.* Orat. I. in-
 quiens; *Cur te ipsum facis pastorem, cum sis ovis? cur caput esse contendis, cum pes existas? cur exercitum ducere quæris, cum inter milites aut tyrônes adhuc censearis. Valdè stultorum, aut temerariorum est, ait idem, alios docere aggredi, priusquam ipsi satis edocti sumus, ac ut dici solet, in dolio discere. Non sanctuarium Domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicerunt, conantur, scribit Eugerius lib. III. Comment. in Reg. libb.*

Nec

Nec juvenis tam gravi provinciæ destinandus est, nisi animo senili. *Diavertant, principes pueros & Patres patriæ dici impuberes*, ait *Nicomachus* Consularis apud *ropiscum* in *Tacito*; Cur non potius optemus; *Deus avertat Episcopos pueros & Patres Ecclesiæ dici impuberes*. Quamvis verò gravitatem & maturitatem morum ac ætatis hîc requiramus, nec quamlibet ætatem huic arduo officio aptam & sufficientem esse statuamus, haudquaquam tamen juvenes absolute & simpliciter à docendi munere in Ecclesia excludimus, nam *Samuelem* adhuc puerum ad munus Prophetæ à Deo evocatum universo Israëlî Verbum Domini annunciaſſe lib. I. *Samuel*. cap. III. II. seq. legimus. Et *Jeremias*, cum à Deo vocaretur, prophetandi provinciam deprecabatur, excusans se, *quod adhuc puer*, & ad prædicandum Dei Verbum haud idoneus eſſet, sed excusanti se ob puerilem ætatem respondet Dominus; *Ne dicas, puer sum, ad omnia, ad quæ mittam te, ibis, & universa, quæ præcipiam tibi, loqueris*. *Jerem.* I. 6. 7. In Veteri quidem Fœdere de summi, aliorumque Sacerdotum & Prophetarum ætate nihil definitum reperimus. Refert *Josephus* lib. IV. *Antiqvit. Judaicar.* cap. 2. *Corem* populari quâdam facundiâ præditum *Moyſi* se opposuisse &

æta-

ætatis prærogativâ contra Aaronem & ejus filios in Sacerdotio promoveri, & illis præferri cupivisse. Nec ipse salvator noster ὁ ἀρχιεπίσκοπος, *pastorum princeps*, & animarum fidelium omnium Episcopus, I. Petr. II. 25. nec Apostoli ejus usque adeò de ætate fuere solliciti, ut quos inter non solum juvenes, sed & adolescentes fuisse, (quod de Johanne legimus) constat. Ipse quoque *Timotheus* juvenis fuit, sed eo tempore à Paulo electus, quando messis multa, operarii verò pauci, & nihilominus perfectissima & singularis in eo virtus mediocritatem supplebat ætatis, Hinc noluit Apostolus juvenilem ejus ætatem contemni, I. Tim. IV. 12. quia ut inquit *Ambrosius* ad h. l. Tom. IV. Oper. p. 997. *quantum ad ætatem pertinet, juvenis erat, quantum ad mores & conversationem senior & gravis.* Tacite innuens, distinguendum hic esse inter, senectutem menti & mentis, inter illos, qui ætate, & illos, qui moribus & judicio juvenes sunt. Ad officium Ecclesiasticum, obeundum, non tam ætatem, quam eruditionem, gravitatem & prudentiam requiri, Juvenesque qui *ætatem moribus transeunt*, juxta *Senecam* Epist. 74. & grandævorum brevi annorum spacio sanctitatem æquant, ad illud satis idoneos esse. *Multos juniorum videmus*, ait *Bernhardus* in Epist. ad

ad

ad Theobaldum, *super senes intendere moribus dies, antiquorum tempora prævenire meritis, & quod deest ætati, virtutibus compensare.* Hic senex est, quisquis vitæ integritatem, quisquis morum præstat gravitatem. Rectè iterum *Ambrosius de Acholio. verè senectus illa venerabilis est, quæ non canis sed meritis (adde & sapientiâ & prudentiâ) albescit.* Ea enim est reverenda canities, quæ est canities animæ, in canis cogitationibus & operibus affulgens. *Hominum ingenia non à vetustate, ut vina, sunt æstimanda, sed ab ipsa probitate & eruditione,* inquit *Henric. Bullingerus Com. ad I. Tim. IV. 12.* Et verissima est illa *Athalarici, Gothorum, Romanorumque Regis sententia; Ætas non impedit, ubi se potentia cælestis infundit,* apud *Goldastum in Constitut. Imper. tom. III.* Ast enim verò nemo inficias reor ibit, rerum divinarum scientiam, sapientiam & prudentiam ad munus Ecclesiasticum necessariam esse, hanc verò longo vitæ usu, multaque rerum experienciâ demum parari ac proinde præter alias qualitates, ætatem, quæ jam adulta esse cœpit, in Candidato, qui ad honores & officia Ecclesiastica adspirat, omninò requiri. *Aristoteles lib. I. Ethic. cap. 3. ad Nicom.* non judicat utique, juvenes esse aptos seu idoneos Ethices auditores ac disci-

discipulos, multò minus judicasset idoneos fore magistros. Hinc patet, quid de verbis *Francisci Toleti* lib. I. de Instruct. Sacerd. cap. 61. num. 1. sentiendum, ubi ait; *Ordines etiam majores, etiam Presbyteratum posse conferri infantibus nondum usum rationis habentibus, est communis doctrina Theologorum & Canonistarum.* Sic audiendi Presbyteri & Episcopi vagientes in cunis, in Ecclesia nequeunt audiri, ut ait *Crocus* in Com. Epist. 1. ad Tim. pag. 122. Sanè aliquando puer nondum quin-
quennis Remensis electus fuit Archi-Episcopus, quod ipse *Baronius* cōqveritur anno 925. h. 9. Ast rectè Canon Pueri Caus. 1. q. 1. *Pueri* (i. e. imperiti & inepti & qui nihil præter velle afferunt) *ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tantò periculosius cadant, quantum citius conscendere ad altiora festinant.* Neque enim pueri, qui judicio carent, l. cum Prætor. §. pen. ff. de Jud. *nec stabilem habent mentem* l. fin. C. de testam. milit. idonei sunt, qui *Ecclesiis præficiantur*, cap. super. Extr. de præben. cum nec seipsos rectè gubernare possint, c. 3. de ætate & qualit. Ord. Constat ex Num. IV. 3. Levitici Ordinis Sacerdotes non nisi trigésimo ætatis anno completo ad publica Ministeria, veluti ad onerum gestationem, & balulationem, aliasque operas in Tabernaculo faci-

faciendas fuisse admissos. Nam usque ad illud Tempus, ut annotatum à *Dionysio* proficit homo in rationis vigore & viribus corporis. *Johannes Baptista*, prodromus Christi, à cujus prædicatione anno XV. Tiberii solenne Novo Testamento factum est initium, Matt. III. 1. Marc. I. 1. Luc. III. 1. seq. annum ætatis suæ trigessimum inchoans ad prædicandū missus est. Ipse quoque *Christus*, cum baptismum in Jordane suscipiens per vocem Patris cœlestis & Spiritum S. in specie columbæ descendentem S. Ministerio inauguraretur, suamque prædicationem aggrediretur, *incipiebat esse fere annorum triginta*, Luc. III. 23. Unde & in primitiva Ecclesia ætatis legitimæ accurata semper habita est ratio. Jus Canonicum triginta annis minorem ad Presbyterium eligi prohibet. Ita enim Canon I. habet, parte I. Decret. distinct. 78. ex Bonifacio (alii citant ex decretis Fabiani) *Si quis triginta annos ætatis suæ non impleverit, nullo modo Presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus.* Canon II. distinct. eadem; *Nemo Presbyter consecratur, qui minor triginta annis sit. Nemo Diaconus fiat, qui minor viginti quinque annis sit.* Canon IV. ibid. ex Concilio Neo-Cæsariensi dist. ead. *Presbyter ante XXX. annorum ætatem non ordinetur, quamvis sit*
pro-

probabilis vite &c. Canon. Cum in cunctis,
 Extra. de Elect. & Elect. potestate ex Conci-
 lio Lateran. *Cum in cunctis Sacris Ordinibus &*
Ecclesiasticis ministeriis sint etatis maturitas,
gravitas morum & literarum scientia inquiren-
da, multò fortius in Episcopo hæc oportet inquiri,
qui ad curam aliorum positus in seipso debet
ostendere, qualiter in domo DEI oporteat con-
versari. Ea propter re, quod de quibusdam pro
 necessitate temporis est factum, trabatur à po-
 steris in exemplum, presenti decreto decernimus,
 ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam tri-
 gesimum etatis annum exegerit &c. Justinianus
 Imperator Rom. Christianissimus non
 passus est ante trigesium quintum etatis
 annum fieri aliquem Episcopum, Vide Novell.
 123. cap. 1. quam tamen constitutionem
 postea ad annos XXX. reduxit & statuit, ut
 post trigesium etatis annum quis creari Episcopis
 possit. Novell. 137. cap. 2. Sed & de
 Presbyterorum & cæterorum Clericorum æ-
 tate ita ille constituit; Presbyterum autem mi-
 norem XXXV. annis fieri non permittimus, sed
 neque Diaconum aut sub-Diaconum, minorem
 XXV. neque minorem Lectorem XVIII. anno-
 rum. Hæc Justinianus. Carolus M. Imperator
 Germanorum primus, postquam
 victrici gladio nomen Christi & Chri-
 stianam

Christianam religionem in Germaniam innoxit,
hinc inde Ecclesias crexit & Episcopos ac Sa-
cerdotes illis præfecit, viros præter singula-
rem eruditionem & doctrinam, gravitate vi-
tæ & annorum atque ætatis maturitate præ-
ditos, quo de *Albertus Cranzius* in Metropoli
passim legi potest. Ipse quoque in Capitulari
de reformatione Ecclesiæ & disciplinæ Chri-
stianæ anno 789. in Comitibus Aquisgranen-
sibus statuto, inter alia ex Concilio Neo-Cæ-
sariensi sanxit, ut nullatenus Presbyter ordina-
tur, ante XXX. ætatis sue annum, quia Dominus
Jesus Christus non predicavit ante XXX. an-
num. art. 50. Quod & Ludovicus Pius in
reformatione Eccles. anno 816. ex *Isidoro* re-
petit his verbis; Quod autem à triginta annis
sacerdos efficitur, ab ætate scil. Christi sumptum
est, ex qua idem orsus est predicare, apud *Golda-
stum* in Constitut. Imperial. tom. III. cap. 9.
Constit. Ludov. Pii. Ætas itaque triginta
annorum generaliter selecta est, cum pro-
pter exemplum Christi, tum quia solidæ ea-
& perfectæ prudentiæ esse creditur. Inprimis
observabant Veteres, ne quis juvenis & qui
ante non fuisset Clericus, ad *ἀγία τῆς ἐκκοινωνίας*,
dignitatem Episcopalem, eveheretur, sed per
gradus quosdam ad eam ascenderet. Hinc
Clerici primum minoribus officiis admove-
ban-

bantur, in quibus, si studia & officia sua probassent, ad maiora evehebatur, unde & Chrysostomus per omnes Ecclesiasticos gradus transit; Prius enim Lector, deinde Diaconus, postea Presbyter, tandem verò factus est Patriarcha Constantinopolitanus. Vide *Claudii Espencæ* Com. in 1. Epist. ad Timot. Digress. 1. cap. XVI. Cæterum, ut supra quoque insinuavimus, de ætate eligendorum ad Ministerium Ecclesiasticum non potest regula quædam generalis tradi, cum hic non tam anni, quàm *ἡλικίας* respicienda, quæ in quibusdā citius, in aliis tardius sese exerit. Et ætas non tam annorum numero & gravitate pensanda, quàm doctrinæ & sapientiæ pondere æstimanda sit. Aliquando morum gravitas, ætatis maturitatem supplere potest. Et statutum de anno trigésimo prius expectando, priusquam sacris Ministeriis quis adhibeatur, fuit Leviticum, ideoque nos in N. T. haudquaquam obligat. Christus etiam suo exemplo noluit certam regulam præscribere & certum annorum numerum in eligendis ad Ministerium determinare. Nec Apostolus in formâ, juxta quam eligendi sunt Ministri Ecclesiæ, ullam certæ ætatis mentionem facit, cum tamen de vidua ad certas quasdam operas Ecclesiæ præstandas eligendâ præcipiat,

cipiatur, ne minor sit sexaginta annis I. Tim. V. 9. Vide B. D. Gerbardum in Loc. Theol. Tom. VI. de Minister Eccles. §. 185. hanc quæstionem prolixè explicantem, & B. Balduinum Com. in I. Tim. IV. pag. 294. Edit, in fol. Rectè venerandus Dn. D. Olearius Ifag. in Orat. Eccles. pag. 47. Quamvis, inquit, de certo annorum numero Ministrorum Ecclesie N. T. nihil determinaverit Spiritus S. nec desint exempla ingeniorum excellentium, quorum eruditio & prudentia ætatem longè superavit. Nihilominus tamen exempla extraordinaria regulam constituere nequeunt. Quin potius Levitarum typus annum ætatis 30. requirens Num. IV. 3. (& quidem post quinquennalem informationem, cap. VIII. 24.) ut & Salvatoris exemplum Luc. III. 23. hoc morale inculcat, justam ætatem & judicii maturitatem expectandam esse illi, qui alios in Ecclesia informare conatur. Hæc ille. Si illi, qui domum suam regere nequeunt, ad Ecclesie regimen vocari non debent, quanto minus illis licebit ad tantum munus accedere, qui seipsos in vita sua nec dum moderari addidicerunt. Qui, quod antiquatadus dicebat Pythagoras, stragula nondum habent convoluta, h. e. affectus nondum in gyrum rationis ductos, nec satis dominos, sed quorum mentes adhuc sunt vagæ, dubiæ,